IN DANIELEM PROPHETAM

EXERCITATIO ACADEMICA

Quam Auſpice, & Duce D. THOMA AQUINATE

PUBLICE EXHIBET

F. PHILIPPUS MARIA AMENTA

In Neapolitano Or. Præd. ejuſdem D. Thomæ Collegio Græcarum, & Hebraicarum Litterarum Auditor.

NEAPOLI MDCCLXXIX.

EX TYPOGRAPHIA MICHAELIS MORELLI

AUCTORITATE PUBLICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Niſi, Viri Clariſſimi, traditæ divinitus Litteræ nobis facem, ad diſpellendam inſitam mentis caliginem, præferentes admonerent; excuſatione fortaſſis digna alicui videri poſſet impudens illa quidem, ſed vetus, ac ſatis pervulgata nonnullorum querela: quid nempe Supremo Numini cauſſa fuerit, ut hominem hujus Univerſitatis partem non ignobilem (1), *magno cum diſcrimine, tot & externis, & domeſticis hoſtibus, tot denique molibus moleſtiarum, tantiſque rerum aſperitatibus divexandum objiceret. Docent nimirum illæ, Deum ſuapte natura clementiſſimum nullo modo homines hujuſmodi acerbitatibus ærumniſque ſubjici paſſurum fuiſſe, niſi hanc mortalem vitam, tamquam ſtadium quoddam, & certaminis campum ſtatuiſſet, quo cum hoſtibus manum conſerentes, nec diu, nec ſoli dimicantes, victoria tandem potiti, felicem ſempiternamque vitam aſſequeremur, omni bonorum copia affluentem, malique cujuslibet expertem. Quod ni pro ſuorum conſiliorum rationibus naturæ noſtræ regendæ curandæque magis accommodum ille cenſuiſſet, quid uberrimum ipſum miſericordiæ bonitatiſque fontem Deum impelleret, ut filios ſuos, præſertim pios & inſontes, diris interdum calamitatibus vexari ſineret? Hæc ratio nos, qua quidam neglecta in abnormes & a communi ſenſu alienos errores inciderunt, in eam perſuaſionem inducet, ut ſentiamus, tan-*

(1) *Operis tanti pars non vilis*
Homines quatimur fortunæ ſalo.
Boeth. lib. 1. de Conſolat.

tum abeſſe, ut mala & afflictiones humanæ Divinis Attributis labem ullam aſpergere valeant, ut potius, ſi ſapimus, certiſſima ſint exiſtimanda Divinæ ſapientiæ & caritatis erga nos argumenta : quippe quæ, ut de ceteris ſileamus, opportunam nobis exercendæ virtutis veluti ſegetem præbent, abſtrahantque a terrenis illecebris; atque ad Deum, *ut S.Gregorius Magnus veriſſime ait*, nos ire compellant. *Eapropter non eſt tantopere mirandum, ſi Fidelium illum ſibique cariſſimum hominum cœtum, qui Eccleſiæ nomine ſignatur, & olim ſub Lege veteri, & longo poſtea intervallo ſub nova, maximis aliquando perturbationibus & conflictibus agitari ac pene obrui ſiverit. E quibus nil acerbius his, quæ Eccleſia quondam ſub* Antiocho Epiphane *paſſa, & circa extremam mundi clauſulam ſub* Antichriſto, *cuius ille, ex Patrum ſententia, typum geſſit, paſſura eſt: quæ quidem Sanctiſſimus Propheta Daniel extremis ſui vaticinii partibus accurate, ut fideles longe ante præmonerent, perſcripſit. Itaque cum hæc eadem nobis ad manum eſſe hoc anno contigerit, quædam pro anniverſaria noſtra exercitatione ex ipſo Hebraico fonte rudi minerva delibavimus: ſunt autem quæ mox ſequentur.*

Digitized by Google

Cap. X. Verſ. 13.

ושר מלכות פרס עמד לנגדי עשרים ואחד יום

Et Princeps Regni Perſarum ſtat contra me viginti & uno die.

ITA ad Danielem Angelus: qui cum ejus preces pro Judæorum liberatione ac reditu, ſimul atque ad Deum effuderat exauditas eſſe pronunciaſſet, dilati ſui adventus reſponſique cauſam hanc reddidit, quod nempe *Princeps Regni Perſarum ei viginti & uno diebus reſtitiſſet*. Pro cujus explicatione ſtatuendum eſt I. Quiſnam *Principis Regni Perſarum* nomine deſignetur, num Princeps aliquis ex hominum, an ex Angelorum genere, rurſuſque, ſi hoc alterum, utrum ex bonorum, an vero ex pravorum claſſe cenſendus ſit? Fuerunt enim nonnulli, e grege præſertim Proteſtantium, qui aſſererent hunc Principem Regni Perſarum, vel Cyrum, vel Cambyſem ejus filium fuiſſe. Quæ opinio cum per ſe generatim ſpectata infirma eſt, tum præſertim quoad alterutrum eorum Regum cohærere nullo modo poteſt. Nam, ut omittam concordem SS. Patrum mentem, quæ non parum hac in re momenti habet, pugnam eam Angelorum fuiſſe, pro certo ſumentium; quis ſibi in animum induxerit, *Terrenam* poteſtatem *Cæleſti* tamdiu, tamque acriter reſtitiſſe? Præcipue cum deinceps *v.* 20. *Principis Græcorum* mentio fiat, qui quidem nullus tum e gente illa, quippe olim proditurus, Princeps extabat: Atqui eodem ſenſu utrobique vocem שר accipiendam eſſe, ipſe orationis textus admonebit. Deinde cui tandem fiet veroſimile Cyrum, cujus luculentiſſimum legitur 1. *Eſdræ cap.* 1. voluntatis adverſus Judæos, Templique Hieroſolymitani reſtaurandi teſtimo-

monium, a tam egregio propoſito poſtea deſciviſſe, atque cum Angelo Judæorum Patrono decertaſſe? Nam quod Calmetus aſſerit, „ diu hæſitaſſe Cyrum, antequam tan-„ tæ molis imperium Chaldæorum, juxta Dei præſcriptum, „ everteret „; in eo vir Cl. dupliciter labitur: nam 1. hujuſmodi hæſitationis nullum apud veteres veſtigium apparet; 2. quia anno tertio imperii ſui (quo hæc pugna contigiſſe traditur) Cyrus jam rerum apud Babylonios potiebatur: Cum vel ab anno primo Regni 1. *Eſdræ* 1. proditum ſit, ipſum Judæis vaſa argentea, & aurea in uſum templi reſtitui mandaſſe, quæ Nabuchodonoſor jamdiu inde ablata Babylonem importaverat. Ex quo manifeſte conſequitur, multo minus hunc *Principem Regni Perſarum* Cambyſem eſſe potuiſſe; cum adhuc eodem anno ſummæ rerum *Cyrus*, non *Cambyſes* præeſſet. Nequit ergo hic eſſe *Princeps Regni Perſarum*. Sed fac Cambyſem ſub *Aſſueri*, aut *Artaxerſis*, de quibus 1. *Eſdr. cap.* 4., nomine deliteſcere (quod tamen vir eruditiſſimus *Scaliger* (1) non contemnendis rationibus pernegat) ſub quorum regno Samaritæ accuſationem contra Judæos inſtruxerunt; nec quod contendunt efficiunt: nam præterquamquod nota temporis aperte repugnet, ſi *Aſſuerum* Eſdræ ab *Ar*-

ta-

---

(1) *Notum eſt* Joſ. Scaligerum *exiſtimaſſe*, *Aſſuerum* (1. Esdr. cap. 4.) *eſſe* Xerſem, *Artaxerſem vero eſſe illum*, *qui* Μακρόχειρ *cognominatus eſt*, *Darium deinde* (*cujus an.* 2. *Templum reædificari cœptum*, & *an.* 6. *abſolutum eſt*, 1. Eſd. 6.) *Darium* Nothum, *Artaxerxem deniq.*, *qui anno Regni viceſimo poteſtatem fecit Nehemiæ reficiendæ Urbis*, 2. Eſd. 2. *illum fuiſſe*, *qui a vi memorandi* μνημονος *cognomentum tulit*.

taxerſe cum plerique ſecernamus, tunc *Cambyſes* erit Aſſuerus, qui poſt Cyrum ab Eſdra collocatur, *Artaxerſes* autem erit *Smerdes* Magus. Porro edicti de prohibendis ab Opere Judæis auctorem *Artaxerſem* Eſdras facit: en ejus verba: *itaque exemplum edicti Artaxerſis Regis lectum eſt ... tunc intermiſſum eſt opus Domus Dei in Hieruſalem, & non fiebat uſque ad annum* 2. *Darii Regis Perſarum.* Princeps ergo Angelo reſiſtens, non foret Cambyſes, ut adverſarii volunt, ſed Smerdes.

Sin vero quod *Huetio* placet eumdem eſſe Eſdræ *Aſſuerum & Artaxerſem multis affectum nominibus*, atque hunc ipſum *Cambyſem* fuiſſe, fateremur; tunc Samaritas capitales Judæorum hoſtes verius, quam *Cambyſem* dicendum foret, *Calumniis*, ut loquitur Calvinus, *impiis conatibus, diriſque conſultationibus*, Gabrieli reſtitiſſe. Aperienda eſt, claritatis gratia, totius hiſtoriæ ſeries, quam Eſdras cit. loc. deſcripſit. Scripſerant *in diebus Artaxerſis epiſtolam accuſationis* ad eum Samaritæ *Syro ſermone*, dicentes: *Notum ſit Regi, quia Judæi venerunt in Hieruſalem civitatem rebellem & peſſimam, quam ædificant extruentes muros ejus*: rogant mox Regem, *ut recenſeret in libris Hiſtoriarum Patrum ſuorum, in quibus ſcriptum erat, quoniam urbs illa rebellis eſt, & nocens Regibus, & Provinciis; & bella concitantur in ea ex diebus antiquis, quam ob rem, & civitas ipſa deſtructa eſt*. Quibus Rex in hunc modum reſcripſit: *Accuſationem, quam miſiſtis ad nos, manifeſte lecta eſt coram me, & a me præceptum eſt, & recenſuerunt, inveneruntque, quoniam civitas illa adverſum Reges rebellat, & ſeditiones, & prælia concitantur in ea; nam & Reges fortiſſimi fuerunt in Hieruſalem, qui & dominati ſunt omni regioni, quæ trans fluvium eſt, tributum quoque, & ve-*

vectigal, *& redditus accipiebant. Nunc ergo audite ſententiam: probibeatis viros illos, ut urbs illa non ædificetur, donec ſi forte a me juſſum fuerit:* Non ergo *Artaxerſis*: fuere diræ illæ calumniæ, ſed *Samaritarum*: quare in eos dumtaxat perpetuo Eſdras confert culpam: hos ait: *impediviſſe manus populi Judæ, & turbaſſe eos in ædificando, conduxiſſe quoque conſiliatores adverſus eos, ut deſtruerent conſilium eorum omnibus diebus Cyri Regis Perſarum, & uſque ad regnum Darii ... in principio vero regni Aſſueri ... & in diebus Artaxerſis ſcripſiſſe accuſationem adverſus habitatores Judæ* & Hieruſalem: *lecto* demum *exemplo edicti Artaxerſis Regis ..; abiiſſe* feſtinanter *in Hieruſalem ad Judæos, & probibuiſſe eos in brachio, & robore, tuncque intermiſſum opus domus Dei... uſque ad annum ſecundum Darii*. Quod ſi ita res ſe habet, planum eſt Adverſarios id quod unice & vere Samaritanorum fuit, præpoſtere in *Artaxerſem*, quem *Cambyſem* eſſe vellent, conjeciſſe.

Maneat ergo, Angelos utrimque ſpiritali illo pugnæ genere; quod, ut corporis expertes ſubſtantias decet, ſolis argumentis & diſputatione tranſigitur, hoc loco invicem decertaſſe. Sed bonine an pravi Spiritus hic pugnantes deſcribuntur? Equidem Angelum Danieli viſum e bonorum numero fuiſſe, extra controverſiam eſt. Sed Angelus qui intercesserat, princepſque Regni Perſarum nuncupatus, *Origeni* (1), *S.Hieronymo* (2), nec non

(1) *Hom. 9. in Gen.*
(2) *Lib. 25. in Iſ., & alibi.*

non *Caſſiano* (1), & *Ruperto* (2) nequam Spiritus fuiſſe videtur. At contra ſentiunt alii Patres; quorum ſententiam hac non levi ratione confirmat *S.Thomas* (3): Si enim Angelus quocum Daniel loquebatur, ad bonorum genus pertinebat, & illum item quocum pugnam ipſe inierat bonum fuiſſe conſequitur. Siquidem vel mali Angeli bono conſtantiſſime reſiſtentis iniqua erat cauſa, vel juſta; ſi iniqua, ejus cum bono certamen nec diuturnum nec efficax eſſe potuiſſet; ipſa namque cauſæ pravitate facili negotio ab adverſario fuiſſet profligata: nam & cetera, quæ in Sacris literis produntur a malis cum bonis Spiritibus iniqua ſuſcepta certamina expeditiſſime confecta ſunt, depulſique a bonis improbi cauſa turpiter cecidere (4). Sin juſta extitit cauſa, qui fieri potuit ut bonus Angelus adverſarium cauſſæ æquitate fretum tamdiu acriter oppugnarit? eo præſertim quod, cum ad Danielem docendum poſt unum & viginti dies venit Gabriel, nondum fecerat oppugnandi finem, ſed translatis ad Michaëlem interim ſuis cum eodem certandi partibus, mox poſt edoctum Danielem pugnam cum eo rurſus inire paratus erat; quod poſtremus hujuſce capitis verſiculus indicat: *nunc revertar ut prælier adverſus Principem Perſarum*.

Sed quod iſtud pugnæ genus, quis modus, & quam ob cauſam inſtitutum? *S. Iſidorus Peluſiota* (5) hoc modo eam rem explicavit: cum enim, inquit, nondum bonis Angelis

(1) *Collat.* 8. *cap.* 13.
(2) *Lib.* 9. *de Victor. Verbi.*
(3) 2. *ſent. diſt.* 11. *qu.* 1. *ar.* 5.
(4) *Zach.* 3. *Judæ ep. cath.*, *Apoc.* 12.
(5) *Lib.* 2. *ep.* 85.

gelis cognita Dei voluntas eſſet, jure utrinque certabant, ac Judæorum quidem Patronus æquum eſſe cenſebat, Divinum de illis dimittendis Edictum exitum habere: alter ex adverſo nefarios illorum mores & crimina proferebat, quibus longiorem ſervitutem meruerant. Sic inter ambos quidam extitit miſericordiæ ac juſtitiæ conflictus. Cui conſonat Theodoretus, ceterique Patres, præcipue S.Gregorius M. (1), cujus mentem illuſtravit Angelicus Doctor (2), itaque rationem contulit: cum enim Dei judicia, altiſſima inſcrutabiliaque ſint, profunditatem judiciorum ejus nulla creata mens comprehendere valet. Porro accidit interdum diverſarum Nationum diverſa merita reperiri, ex quorum diverſitate oriatur, unam Gentem alteri ſubeſſe debere, vel ab ejus contra ditione eximi. Quod tunc Judæis contigerat: quandoquidem Danielis oratio, quantum in ſe erat, liberationem Populi merebatur, ſed Populi Judaici ſcelera, itemque emolumentum quod ex Judæorum converſatione in Perſas redundabat, Dei notitia per illos in hos diffuſa, plane adverſabantur. Cum vero unuſquiſque Angelus, juxta ſibi demandatam curam ſubditorum ſibi merita ad Divinæ Scientiæ examen revocabat, contrariorum meritorum relatio ab Angelis Divinam ſententiam expectantibus, facta, pugna dicitur; eorumque ſubinde concordia eſt ex Divinæ illuminationis perceptione, qua quid Deus velit aſſequuntur. Hoc enim diverſi certatim concorditerque cupiunt, quod Deum velle intelligunt, ſicut Jobi 25. de Deo dicitur, *qui facit concordiam in ſublimibus*.

Ex

(1) 7. *Moral.*
(2) 1. *p. qu.* 113. *art.* 8.

Ex hoc Danielis loco ſatis confirmatur veterum non modo Patrum, verum etiam nobilium Philoſophorum opinio ſtatuentium Angelos, ab Æthnicis Genios & Δαίμονας appellatos, non ſolum viritim ſingulos homines fovere, ſed etiam Civitates & Regna Communitateſque hominum regere (*); ut vere *Philo* Judæus, *columnis eſſe illos*, ſcripſerit, *ſimiles, quæ totas domos ſuſtinent. Sic Divinæ ille virtutes mundum univerſum & in humano genere id quod optimum, ac Deo cariſſimum eſt, fulciunt*
Verſ.

(*) *Id enim antiquiſſimus ac celebris Gentilium Theologus ac Poëta Heſiodus ponit in* Ἔργα καὶ Ἡμέραι. *Cui gemina ſunt, quæ ex Orphicis Carminibus refert Clemens Alexandrinus lib.* Στρωμάτων:

Σῷ δὲ θρόνῳ πυρόεντι παρεστᾶσιν πολύμοχθοι
Ἄγγελοι, οἷσι μέμηλε, βροτοῖς ὡς πάντα τελεῖται.

Plato etiam non uno loco in eamdem ſententiam ſcribit, ſed præſertim in Timæo, & Sympoſio, Angelos, quos ipſe δαίμονας, & θεὺς *appellat, inter mortales, & immortale genus, medios conſtituit: quoniam in earum rerum genere, quæ ratione intelligentiaq: conſtant, ſupremum locum Deus, infimum homines tenent: inter ambos interjectos eſſe creatos, ſed immortales ſpiritus; quorum officium eſſe ait, ut tamquam interpretes & ſequeſtres, humanas res ad Deum, divinas ad homines tranſmittant. R. Moyſes Majemonides quoque in libro More Nebochim l. 2. cap. 6. Angelos, quos ille Elohim appellat, id eſt Deos, tamquam divini conſilii participes, quippe*, nihil Deum facere, donec illud conſideraverit in familia ſuperiori. ***Familiam autem Dei Angelo vocat.***

Cap. XI. Verſ. 2.

הנה עוד שלשה מלכים עמדים לפרס והרביעי יעשיר עשר גדול מכל
וכחזקתו בעשרו יעיר הכל את מלכות יון :

Ecce adhuc tres reges ſtantes in Perſide , & quartus ditabitur opibus nimiis ſuper omnes : & cum invaluerit divitiis ſuis , concitabit omnes adverſus regnum Græciæ .

Univerſa, quæ Daniel hoc capite vaticinatus eſt, ex coævis Scriptoribus, vel ætati illi proximis , reipſa atque ad amuſſim impleta fuiſſe Sacri Scriptores demonſtrarunt . Quod adeo verum eſt ut Porphyrius acerrimus Chriſtianæ religionis hoſtis , cum ad hoc caput deveniſſet, nil aliud adverſus tam perſpicuam veritatem quod reponeret, habuit, niſi poſt eventum ab auctore aliquo, qui poſt tempora Antiochi Epiphanis vixit, fuiſſe litteris conſignata. Sed hoc ille, nulli prorſus fundamento nixus, quin & vetuſtiſſimis monumentis tum Hebræis tum Græcis repugnantibus, comminiſcens, per ſe refutatur: nam ut probe inquit S.Hieronymus *teſtimonium veritatis eſt: tanta enim dictorum fides fuit, ut propheta incredulis hominibus non videatur futura dixiſſe, ſed narraſſe præterita*. Pergamus itaque, & jam poſita Scripturæ verba explicemus. *Ecce adhuc tres Reges* ſtantes (ſive quod habet Vulgata , & eodem recidit) *ſtabunt in Perſide*; cum hoc vaticinium editum ſit anno tertio Cyri Babylone regnantis, qui poſtremus imperii ſui annus, vero ſimilius putatur: cecidit enim in bello, quod adverſus Scythas cupidine proferendi imperii, aut ultionis ſumendæ cauſa commovit : ſequitur in numerum horum trium Regum , qui venturi ab Angelo prædicuntur, Cyrum ipſum non venire. Igitur

tur hi tres Reges proculdubio erunt 1. Cambyſes Cyri filius; 2. Smerdes Magus, *Mardus* dictus Æſchylo, 3. & Darius Hyſtaſpis: hi enim poſt Cyrum invicem ſibi atque ordine ſucceſſerunt, ut ex profanis hiſtoricis, atque Æſchylo in *Perſis* conſtat. Supereſt ergo ut quartus ille Rex non alius ſit quam Xerſes: in hunc enim exactiſſime quadrant, quæ Angelus ei attribuit: *Ditabitur opibus nimiis ſuper omnes: & cum invaluerit divitiis ſuis, concitabit omnes adverſum regnum Græciæ*. Quare excuſatione dignos non arbitramur *Sebaſtianum Munſterum*, Iſidorumque *Clarium*, qui quartum hunc Regem *Darium*, non *Xerſem* cenſuerunt. Fatemur quidem ingenue & Darium quoque opibus invaluiſſe, bellumque intuliſſe Græciæ; nam & Æſchylus mox laudatus, hæc de Dario cecinit.

Μὴ μέγας Πλοῦτος κονίσας οὖδας ἀνδρέψῃ.
Ὄλβον ὃν Δαρεῖος ἦρεν οὐκ ἄνευ θεῶν τινος.

At & Regum ſeries jam indicata, & opulentia Xerſis præ Dario, ejuſque immenſi in Græciam conatus, opinionem ipſorum vehementer infirmant: ſatis enim erit leviter percurrere, quæ veteres Scriptores de copiis Xerſis adverſus regnum Græciæ comparatis ſcripſerunt: ex his unum præcipuum ſeligemus Herodotum, qui admodum proximus ætati Xerſis vixit. Hic namque *Lib.* 7. „ Xerſes, inquit ita copias ſuas contraxit, ut omnem continentis locum „ ſcrutaretur; ſiquidem a debellata Ægypto per totum „ quadriennium comparavit exercitum atque ejus apparatum, & quinto anno ineunte movit cum ingenti „ copiarum manu; nam omnium, quos novimus, exercituum hic multo maximus extitit, adeo ut ad eum „ nihil fuiſſe videatur, aut ille Darianus, qui adverſus

„ Scythas ductus eſt, aut ille Scythicus, qui Cimmerios
„ inſequens Medicam regionem invaſit, aut ille ut fa-
„ ma fert Atridæ adverſus Ilium &c. neque illi omnes
„ exercitus, neque alii iis adiecti cum uno hoc com-
„ parari merentur &c.

Quantus vero fuerit tantarum copiarum numerus, aſſequi ſupputando conatur ibidem Herodotus ipſe *cap.* 108.
„ Claſſis ejus, quemadmodum ego ſupputando invenio,
„ mille ducentarum ſeptem navium ex Aſia, in quibus
„ a principio e ſingulis nationibus erant millia ducenta,
„ & quadraginta unum, ducentos ſupputando viros in
„ ſingulis, & præter indigenas propugnatores addendo
„ Perſarum, Medorumque ac Sacorum tricenos Epiba-
„ tas. Reliquus autem exercitus hic conſtabat ex tri-
„ ginta ſex millibus ducentiſque ac decem. Adiiciam
„ huic, & ſuperiori numero eos, qui ſunt ex biremi-
„ bus, in quibus ſingulis plures fecerim octoginta po-
„ tius, quam pauciores viros, quarum navium ſumma
„ trium millium fuit: ita in eis fuerunt virorum vi-
„ ginti quatuor myriades, ideſt ducenta, & quadragin-
„ ta millia. Hæc igitur erat Claſſis ex Aſia unius,
„ & quinquaginta myriadum in univerſum & præterea
„ ſeptem millia ſexcenti decem. Peditatus vero fuit
„ decieſſepties centenamillia, equitatus octoginta mil-
„ lia, quibus Arabes addo, qui camelos, & Pæ-
„ nos qui currus agitabant, quæ facio viginti millia,
„ quæ copiæ claſſiariæ, & terreſtres in ſummam reda-
„ ctæ fiunt ter, & vicies centena, & præterea decem,
„ & ſeptem millia ſexcenti, & decem. Has copias ex
„ Aſia ipſa fuiſſe contractas jam dictum eſt, præter ſer-
„ vitia, quæ ſequebantur, & eos, qui in frumentariis
„ vehebantur. Huic enumerato exercitui adijciendus eſt

„ illæ

Digitized by Google

„ ille ductus ex Europa, de quo ex opinione dicere opor-
„ tet. Ii Græci, qui ſunt e Thracia ex inſulis Thra-
„ ciæ objacentibus attulerunt naves centum viginti, qua-
„ rum viri fiunt triginta quatuor millia. Terreſtres co-
„ pias attulerunt Thraces, & Pætones, & Heordi, &
„ Bottiæi, & genus Chaldaicum, & Brigi, & Pieres, &
„ Macedones, & Pærebi, & Enienſes, & Dolopes, &
„ Magnates, & Achæi, & qui maritima Thraciæ ha-
„ bitabant. Harum nationum reor trecenta millia ho-
„ minum fuiſſe, quæ myriades illis Aſiaticis adjectæ
„ fiunt in ſumma ducentæ ſexagintaquatuor, & præte-
„ rea ſexcenti, & decem. Hoc tanto pugnatorum nu-
„ mero non pauciora, ſed plura fuiſſe arbitror, quæ
„ hos comitabantur, ſervitia, & eos qui in frumenta-
„ riis navigiis, & in aliis navibus una cum militaribus
„ viris vehebantur, quos neque plures, neque pauciores
„ facio, ſed totidem: Ita æquati numero pugnatorum
„ explebunt totidem myriades; fientque quingentæ &
„ octo myriades, & tria millia ducenti, & viginti vi-
„ ri quos Xerſes Darii filius duxit ad Sepiadem, & uſ-
„ que ad Thermopylas. Hic univerſus copiarum Xerſis
„ numerus; nam mulierum pinſentium, & pellicum, &
„ Eunuchorum numerum nemo pro comperto queat di-
„ cere, at ne impedimentorum quidem, aliorumque ju-
„ mentorum ſarcinariorum, neque canum Indicorum
„ exercitum comitantium præ multitudine quiſquam ini-
„ re numerum poteſt, quo minus miror proditum eſſe
„ fluenta quædam non ſuppeditaviſſe: magis miror, un-
„ de tot myriadibus cibaria ſuppetierint: " Hactenus
Herodotus. Cujus ſola ſimpleſque narratio in eam nos ſen-
tentiam inducet, ut non alium quam *Xerſem*, IV. illum
Perſarum Regem a Daniele prædictum intelligamus.

Verſ.

Verſ. 4.

ועמד מלך גבור ומשל ממשל רב ועשה כרצונו: וכעמדו תשבר מלכותו ותחץ לארבע רוחות השמים

Surget vero rex fortis, & dominabitur poteſtate multa, & faciet quod placuerit ei. Et cum ſteterit, conteretur regnum ejus, & dividetur in quatuor ventos cæli, ſed non &c.

Græciæ mox memoratæ occaſione ad primum Græcorum Imperatorem tranſit, qui ſane eſt Alexander Macedo, de quo ſemel & iterum ſupra, modo ſub *Pardi* quatuor inſtructi capitibus, modo ſub *Hirci caprarum* emblemate, cujus inſigniori cornu fracto, quatuor exinde orta ſunt cornua. Hic namque everſum Perſarum imperium in Dario Codomanno ad Græcos tranſtulit. Sed *cum ſteterit, conteretur regnum ejus*: vix enim ſexennium ampliſſimæ dominationis explevit, morte violenta repentinaque ſublatus e vivis. *Et dividetur in quatuor ventos cæli*, id eſt in quatuor oppoſitas cæli plagas, Orientem, occaſum, Septentrionem, & Auſtrum, ſeu, quod aliis placet, in quatuor præcipuos Alexandri Magni duces. *Sed non in poſteros ejus*: Liberûm ſiquidem Alexandri cognatorumque ejus nulli regnum occuparunt, dolo Caſſandri interempti. Sequitur: *lacerabitur enim regnum ejus etiam in externos, exceptis his*; ſeu ut habet fons hebraicus: ולאחרים מלבד אלה idest *etiam aliis præter iſtos*; enimvero etiam alii minores Duces, ut liquet ex *Arriano*, *Juſtino*, aliiſque, imperii illius partes ſibi vindicarunt, ut Eumenes, Philotas, Antigonus, Caſſander, Leonnatus, Lyſimachus, & alii.

Verſ.

Verſ. 4.

ויחזק מלך הנגב ומן שריו ויחזק עליו

Et confortabitur rex Auſtri : Et de principibus ejus prævalebit ſuper eum.

Ex ſucceſſoribus Alexandri Magni illos tantum attigit Angelus , qui Judæos quadantenus reſpiciebant , ſeu quorum per hos gerendorum particeps bellorum futura erat, inter Ægyptum ac Syriam media, Judæa: quia enim Syria Aquilonaris erat Judææ , Ægyptus ad Auſtrum poſita, Rex Egypti hic vocatur *Rex Auſtri*, ſicut & Syriæ Rex *Aquilonis*. Dum igitur Scriptura aſſerat *confortabitur rex Auſtri*, id intelligitur de primo Egypti Rege Ptolomæo Lagi F. , inſigni Alexandri Duce . Quantæ autem opes fuerint Ptolomæi hujus, quotque Regiones Egypto adjecerit, conſtat ex Idyllio 17. Theocriti, qui filii ejus Philadelphi, cujus ætate vixit, laudes contexuit. Sed & S. Hieronymus ex antiquis ſcriptoribus memoriæ prodidit „ virum eum fortiſſimum ditiſſimumque fuiſſe, & tantæ potentiæ, ut Pyrrhum Regem Epirotarum expulſum reſtitueret in regnum, Cyprumque obtinuerit , & Phœnicen , & devicto Demetrio filio Antigoni , Seleuco regni ſui partem , quæ ab Antigono fuerat ablata , reſtituerit : Cariam quoque obtineret, & multas inſulas, urbeſque, & regiones.

Et de principibus ejus prævalebit ſuper eum . Quidam hoc accipiunt de Ptolomæo Philadelpho Lagidæ filio: nonnulli autem de Antiocho *Divo* filio Antiochi *Soteris* , Seleucique Nicanoris nepote . Sed alterutra opinio ægre defendi poteſt . Non prior illa, nam Ptolomæus Philadelphus paterna ditione contentus fuit , nul-

Iamque ad eam attulit acceſſionem : Quare ipſi aptari nequit τὸ *prævalebit ſuper eum*, ſcilicet Ptolomæum Lagi parentem ſuum . Fuit quidem Princeps nimis addictus luxui, ingenio mitis, & ſi quis alius, humanioribus, ut ſcribunt *Philarchus*, & *Vitruvius*, diſciplinis deditus,
„ ſtudio Bibliothecarum, eorumque, quibus aut vetu-
„ ſtas, aut curioſitas aliqua ad famam patrocinabatur,
„ ut *Tertullianus* ait, accenſus “. At a cupidine amplificandi paterni Regni admodum alienus. Quomodo ergo prævaluit ſupra Ptolomæum Lagi patrem ſuum, cujus magnas opes mox innuimus? Nec minus falſa eſt altera opinio de Antiocho *Divo*. Nam τὸ *ejus* hoc loco vel ad Alexandrum referri poterit, qui proxime præceſſit, vel ad Ptolomæum Lagi. Porro Antiochus iſte nec de Ducibus Magni Alexandri fuit, nec originem ex Lagida nactus erat.

Igitur τὸ ejus ad Alexandrum Magnum, cujus verſiculo ſuperiori mentio eſt, referri debet, quaſi ad unum de Principibus, ſeu Ducibus Alexandri nempe *Seleucum*, qui ſane fuit auctor Regni Seleucidarum in Syria, quemadmodum Ptolomæus Ægyptiacæ Monarchiæ fuit inſtitutor. Nec hujus loquendi modi in Sacris Litteris exempla deſunt: nam 4. *Reg.* 1. *v.* 5. legitur וישובו המלאכים אליו, *& reverſi ſunt nuntii ad eum;* ubi τὸ *eum* non refertur ad *Eliam*, qui proxime præceſſit, ſed ad Ochoziam, de quo *v.* 2.; ut recte reddidit vulgatus: *reverſique ſunt nuntii ad Ochoziam*. Atque ne longius exempla petamus hoc ipſo in *cap.* *v.* 7. 8. 9. 10., de quodam Auſtri Rege verba faciens Angelus, inquit: *& veniet cum exercitu . . . ipſe prævalebit adverſus Regem Aquilonis, & intrabit in Regnum Rex Auſtri, & revertetur in terram ſuam: Filii autem ejus provocabuntur &c.* Si in ipſa ſtructura verborum

rum hæreas, filios Regis Auſtri provocatum iri nimirum intelliges; ſed de filiis Regis Aquilonis prædicta eſſe, non omnium ferme interpretum conſenſio ſolum, ſed res ipſa, humanæque hiſtoriæ fides confirmat. Præcelluiſſe autem Seleucum Nicanorem, qui Syriæ fundavit imperium Ptolomæo Lagi F., videtur in veteri hiſtoria teſtatiſſimum: cum enim poſt Alexandrum, maximum Regem fuiſſe, animo maxime regio præditum, maximæque poſt illum terræ portioni imperaſſe tradit Arrianus *L. 7. de rebus Alexandri*. Plutarchus vero *in vita Demetrii* ſcribit, Seleucum primum Antigoni opera in Babyloniæ regnum deductum, deinde ſuo ſtudio viribus auctis eo potentiæ aſcendiſſe, ut jam minaretur locis Indiæ propinquis, & ad ea regna, quæ circa Caucaſum ſunt, animum converteret: omnia demum a mari Indico uſque ad Syriæ littora ſuo imperio complexum eſſe. Poſtremis Plutarchi verbis, quibus gemina tradunt vetuſtiores alii, immenſum pene deſignari Seleuci Nicanoris regnum intelligunt geographiæ periti, magiſque impellimur ut ſentiamus de eo prædictum ab Angelo, *multam* fore *dominationem ejus* & Ptolomæi Lagi Regno ampliorem.

Verſ. *6.*

ולקץ שנים יתחברו ובת מלך הנגב תבא אל מלך הצפון לעשות מישרים

Et poſt finem annorum fœderabuntur: filiaque Regis Auſtri veniet &c.

Subdit Angelus quæ poſt mortem Seleuci Nicanoris, & Ptolomæi Lagi accidere. *Poſt finem*, inquit, *annorum*

 fœ-

fœderabuntur reges ſcilicet Auſtri, & Aquilonis. Nempe cum Antiochus cognomento *Divus*, Seleuci Nicanoris ex filio nepos, totis Aſiæ & Orientis viribus Ptolomæum Philadelphum impetiſſet; hic (teſtibus *Pauſania*, & *Juſtino*) ubi ſe viribus imparem ſenſit, fœdere maluit, quam prælio rem componere, filiamque ſuam Berenicem Syriæ & Aſiæ regi Antiocho in matrimonium dedit, eam deducens Peluſium uſque, quod refert *Appianus*, tradita immenſa auri & argenti vi dotis nomine, unde φερνοφόρος dicta. Hic itaque eſt ſenſus illorum verborum: *Filiaque regis Auſtri veniet ad regem Aquilonis facere amicitias*, pro quo hebræus habet *ad faciendas rectitudines*, ideſt fœdera, ut apte *Grotius* interpretatur; quare, & *Theodotio* Græce vertit συνθήκας, ideſt pacta.

Sed ut fluxa eſt & inſtabilis humanarum rerum conditio, juncta Auſtri inter & Aquilonis Reges nova hac affinitate amicitia non diu conſtitit, fueruntque nuptiæ hæ tum Antiocho Divo, tum Berenice, & quem ex Antiocho ſuſceperat filio, iiſque omnibus, quibus comitata ad nuptias venerat, exitiales. *Et hoc* eſt, quod Angelus vaticinatur illis verbis, *Et non obtinebit fortitudinem brachii, nec ſtabit ſemen ejus & tradetur ipſa, & qui adduxerunt eam, adoloſcentes ejus, & qui confortabant eam in temporibus*. Conſtat enim ex ſcriptoribus ſupra laudatis, quod etſi Antiochus primo Berenicem conſortem regni habere ſe diceret, Laodice priore conjuge in concubinæ locum habita, deinceps vero amore victus, Laodicem cum liberis ſuis reduxit in Regiam, quæ metuens ambiguum viri animum, ne Berenicem reduceret, eum per miniſtros veneno e medio ſuſtulit. Hoc facto Laodice diſſimulandi ſceleris gratia

Ar-

Artemonem quemdam Antiocho perſimilem in lectulo velut Regem ipſum ægrum collocavit, quoad arbitratu ejus ſucceſſor Regni ordinaretur; atque ita Syriæ Regnum obtinuit Laodice una cum Antiochi maximo natu Filio Seleuco, qui a victoriis, quas tamen nullas habuit, dictus eſt Callinicus; ut ex *Polybio*, *Valerio Max.*, *Plinio*, & *Solino* memorat *Uſſerius* in Annalibus. Quare Berenice *non obtinuit fortitudinem brachii*, ſeu regio honore & auctoritate diu uſa non fuit; *nec ſtabit ſemen ejus*, quia neutiquam filio, quem in ſpem Regni pepererat, Regnum fuit delatum. Sed his non ſe continuit ferox Laodices animus; nam, ut ex *Juſtino*, *Valerio M.*, & *Polyæno* conſtat, Laodice ſublato marito Antiocho, filioque ſuo Seleuco ad Syriæ thronum evecto, Berenicem cum filio, *Icadioni*, & *Cenæo* Antiochiæ principibus occidendam tradidit: quæ cum ad ſe interficiendam miſſos didiciſſet, Daphne ſe clauſit, ubi cum obſideri eam cum parvulo filio nuntiatum Aſiæ civitatibus eſſet, recordatione paternæ majorumque ejus dignitatis, caſum tam indignæ fortunæ miſerantes, auxilia ei omnes miſere. Sed ante adventum auxiliorum inſidiis Laodices interceptus eſt pueri, iique qui puerum interfecerant, dolo quoque Berenicem adorti jugularunt, his qui circa eam erant defenſionem parantibus gladio cæſis. Animadvertendum vero hoc loco eſt hebræam vocem ילדה, quam vulgatus *adoleſcentes ejus* reddit verti commodius poſſe, ſi ſcribes Patach ſub jod, *filius ejus*, ut ſenſus ſit: tradetur ipſa in manus hoſtium, & qui eam comitati fuerant ex Egypto, & filius ejus; & *qui confortabant eam in temporibus*, id eſt quicunque eo tempore ejus partes ſecuti fuerint.

Verſ. 7. 8.

ועמד מנצר שרשיה כנו ויבא אל החיל ויבא במעז מלך הצפון
גם אלהיהם עם נסכיהם עם כלי חמדתם כסף וזהב בשבי יבא
מצרים

Et ſtabit de germine radicum ejus loco ejus: & veniet cum exercitu, & ingredietur provinciam regis Aquilonis &c.

Nimirum ex Ptolomæo Philadelpho, unde orta Berenice, exiſtet *Ptolomæus Evergetes*, qui Regnum paternum obtinebit; hic *veniet cum exercitu* in Syriam propter caſum Berenices, & iram, quam ex ea re animo conceperat: *& abutetur eis, & obtinebit*; nam ut ex laudatis auctoribus refert Uſſerius " Evergetes Syriam " ingreſſus Laodicen interfecit, & Babylonem uſque per- " venit, Cœle-Syriam cum Seleucia occupans, Syriam " quoque, & Ciliciam ſuperioreſque partes trans Eu- " phratem, & propemodum univerſam Aſiam, & qui- " dem ſine bello ac pugna a Tauro uſque ad Indiam " omnia ſubigens ". In qua quidem expeditione maximam prædam impune congeret ad XL. millia talentorum argenti; necnon vaſa ſimul & ſimulacra duo millia quingenta; ut ex hiſtoriis refert S. *Hieron*. Hacce occaſione Ptolomæus *Evergetes*, i. benefactor, Aegyptiis dictus; quod reduxerit ſimulacra, quæ vel Cambyſes olim ex Aegypto in Perſidem aſportaverat, vel Artaxerſes Ochus, qui teſte *Aeliano* Aegyptum nova molientem occupavit, Aegyptiorum ſacra deriſit proculcavitque; ut etiam priſcum Adulitanum monumentum a Leone Allatio ann: 1631. Romæ editum, confirmat his verbis: *Sacris etiam* (Evergetes) *quæ ab Egypto Perſæ abſtulerant, receptis, ac cum reliqua gaza congeſta in Egyptum relatis, exercitum, ducta foſſa, fluminibuſque cor-*

corrivatis deduxit. Tum univerſa *Evergetem* Syria potitum Hieroſolymam veniſſe, ibique Deo obtuliſſe Sacrificia Euchariſtica multa, ac dona dicaſſe victoria digna ſcribit Joſephus *lib.* 2. contra Appionem.

Verſ. 10.

ובנו יתגרו ואספו המון חילים רבים ובא בוא &c.

Filii autem ejus provocabuntur, & congregabunt multitudinem exercituum plurimorum &c.

Poſt fugam enim Seleuci *Callinici*, duo filii ejus, quibus nomina *Seleucus Ceraunus*, & *Antiochus magnus* irritati facto illo Ptolomæi Evergetæ, ob ulciſcendam parentis injuriam, exercitu maximo coacto arma corripiunt adverſus Regem Auſtri, qui tunc *Ptolomæus* cognomento *Philopator* erat. Cum autem Seleucus major natu, dolo Nicanoris & Apaturii interemptus fuiſſet; exercitus Antiochum fratrem ejus, qui tunc Babylone degebat, in regnum excivit. Et idcirco cum antea dixiſſet Angelus numero multitudinis filios Regis Syriæ provocatos congregaſſe immenſam exercituum vim, ſubdit ſingulari numero, *& veniet properans*, *& inundans*, *& concitabitur*, *& egredietur*, *& exaltabitur cor ejus*; quia ſcilicet ſolus Antiochus Magnus adverſum Duces Philopatoris decertavit, ac Judæam, & Cœle-Syriam, prodente eam Theodoto Philopatoris Toparcha, obtinuit; quo felici ſucceſſu elatus Antiochus, in tantam venit audaciam, contempta Philopatoris luxuria, ut ultro Ægyptiis bellum inferret.

Verſ. 11.

ויתמרמר מלך הנגב ויצא &c.

Et provocatus rex Auſtri egredietur, & pugnabit adverſus Regem Aquilonis, & præparabit multitudinem nimiam &c.

Hic Angelus præſagiſſe aperte videtur celebre prælium Philopatoris cum Antiocho ad Raphiam commiſſum, cujus meminit præter *Polybium*, *Strabo* & *Scriptor* 3. *Mach.* Philopator enim tantis damnis excitus maximum contraxit exercitum, videlicet peditum ſeptuaginta, equitum quinque millium, Elephantis ſeptuaginta tribus, navibus tectis triginta, onerariis quadringentis: & reipſa opera præſertim Arſinoes, quam Polybius Laodicem appellat, Antiochi Magni exercitum fudit, innumeros captivos fecit. Sed *non prævalebit*, ſubdit Angelus, quia luxui totum ſeſe immergens, obſcœnis amoribus vacans, omni metu abjecto cogitationes belli deponet, qua de cauſa Antiochus Magnus majorem comparabit exercitum, Ægyptique Regnum invadet; cum jam Philopatore defuncto, filius ejus *Ptolomæus Epiphanes* admodum puer regnum obtinebit. Igitur Antiochus Magnus ſpe Ægypti potiundæ illectus, juncta cum Philippo Macedonum Rege ſocietate maximis copiis invadet Ægyptum, urbeſque munitiſſimas capiet, ut ex Joſepho, Appiano, & Livio conſtat.

Verſ. 21.22.23.

ועמד על כנו נבזה ולא נתנו עליו הוד מלכות ובא בשלוה והחזיק
מלכות בחלקלקות: וזרעות השטף ישטפו מלפניו וישברו וגם
נגיד ברית: ומן התחברות אליו יעשה מרמה ועלה ועצם במעט גוי

Et ſtabit in loco ejus deſpectus, & non tribuetur ei honor regius: & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia. &c. &c. &c.

Veteres eccleſiæ Patres, in his *S. Hieronymus*, quæcum-

cumque ab hoc viceſimo primo verſiculo uſque ad finem capitis prædicuntur, in Antichriſtum aptarunt; ſed non defuere alii, qui hæc eadem, adhibitis veterum hiſtoriis, de Antiocho Epiphane vaticinata eſſe affirmarunt. Sed quid vetat, utramque conciliaturi opinionem, ut juxta S. Scripturæ morem de ambobus hic agi intelligamus? Quod ne cui parum in ſacris litteris verſato mirum videatur, nonnulla dabo ex ſacris litteris exempla. Primum quidem ex *pſal.* 71. qui prænotatur *Salomonis*, omnianamque quæ in eo dicuntur, aut vix, aut nullo modo Salomoni adſcribi poterunt. Neque *permanſit*, ut habet Vulgatus *cum Sole*, *&* *ante Lunam in generationem & generationem*; neque *dominatus eſt a mari uſque ad mare*, *& a flumine uſque ad terminos Orbis terrarum;* nec *omnes gentes ſervierunt ei*. Item neque *ante Solem permanſit nomen ejus*; *neque in ipſo benedictæ ſunt omnes tribus terræ*; *nec omnes gentes magnificaverunt eum*. Ex parte enim, & quaſi in umbra, vel imagine veritatis hæc in Salomone præmiſſa fuerunt, ut in Domino Salvatore perfectius complerentur: Eadem ratione illud Oſeæ *cap.* 11. *v.* 1. de populo Judaico dictum: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, de Chriſto ab Ægypto vocato *Matth. cap.* 2. *v.* 15. interpretatur. Iſaias pariter & *cap.* 7. *&* 8. e pueruIo ſibi tunc temporis genito, occaſionem arripit de ſublimi atque admirando altero puero *Emmanuele* latius vaticinandi, & *cap.* 49. 54. *&* 60. cum de populi Iſrael ex Babylonica ſervitute liberatione vaticinaretur, de omnium gentium e diaboli tyrannide redemptione Eccleſiæque Evangelicæ conſtitutione multa prædicit. Quin etiam Chriſtus ipſe cum apud *Matth.* 24. *v.* 2. de templi Hieroſolymitani fato interrogatus ab Apoſtolis, de fine mundi ſermonem faciendi ſibi viam ſternit, quia ille templi occaſus, fi-

Digitized by Google

finem mundi ſignificabat. His præmiſſis, operam dabimus ut Angelum de utroque locutum fuiſſe oſtendemus. Ut de Antiocho primum pleraque intelligantur multa perſuadent; Primum ipſa hiſtoriæ, & narrationis ſeries: egerat enim de *Seleuco Philopatore*, cui in Syria ſucceſſit *Antiochus*, ipſa itaque rerum conſequentia, ut de ipſo Epiphane ageretur poſtulabat. Deinde quod cum Angelo propoſitum fuerit, ea prænunciare, quæ ad res Judæorum pertinere viderentur, ſimile veri non eſt, Antiochum, qui maxime omnium res Judæorum afflixit, præteriiſſe. Inſuper, quod re quidem ipſa, quæ Angelus hic vaticinatus eſt ejuſdem Antiochi tempore evenerint atque in ipſo perfecta fuerint, ſicut ad manum extant nitida vel e Mach. Libris, vel e profanis hiſtoricis teſtimonia. Verſiculo enim 21: Danieli Angelus ait: *Et ſtabit in loco ejus deſpectus*, *& non tribuetur ei bonor regius*: *& veniet clam*, *& obtinebit regnum in fraudulentia*. Itaque legimus apud Sacros, profanoſque hiſtoricos *Antiochum* memoratum, *Magni Antiochi* filium, & *Seleuci Philopatoris* juniorem fratrem, cum Romæ ob fœdus aliquod Romanos inter & Patrem ejus in bello initum, obſes teneretur, abſque ulla regnandi ſpe, unde *deſpectus* dicitur, audita fratris ejus Philopatoris nece furtim Syriam appetiiſſe; quapropter *clam veniet*, hebraice *traquille*, quod idem fere ſonare videtur, ac ſecreto, vel furtim, ut Angelus inquit. Cumque Syriæ Regnum *Attalo* & *Eumene* Aſiæ Regibus eum adiuvantibus invaſiſſet, ei, ab his qui Ptolomæo in Syria favebant regius honor non dabatur; vnde *& non tribuetur ei bonor regius*; at poſtea clementiæ ſimulatione populum illiciens regnum obtinuit excluſo legitimo regni hærede *Demetrio*, qui erat ei ex fratre nepos, ſimulans quoque

tu-

tutorem pupilli nepotis ſui Demetrii ſe velle agere. Hinc Demetrii inter & Antiochi poſteros perpetua fuerunt bella pro eo Regno per ducentos annos alio alium viciſſim eſcludente, & pro eo regnante; hinc *& obtinebit regnum in fraudulentia*, hebraice *in blanditiis*. Ita apud *Appianum Syriac. pag. 116.* & deinceps, apud *Diodorum ſiculum* in except. *Polybium lib. 26.* & *Mac. lib. 1., & 2.* & deinceps.

Verſ. 22. *Hæc Angelus itidem habet: Et brachia pugnantis expugnabuntur a facie eius, & conterentur: inſuper & dux fœderis.* Antiochus enim vires (quæ in Scripturis brachia multoties nuncupantur) eorum, qui pro legitimo regni ſucceſſore adverſus eum decertabant, expugnavit; unde, & *Brachia pugnantis*; hoc eſt legitimi hæredis Seleuci *expugnabuntur a facie ejus*: Hebraice paulo aliter legimus: *& brachia inundatione inundabuntur a faciebus ejus*, auxiliorumque Seleuci, quæ tamquam rivuli undique fluent, ab Antiocho veluti a majori quodam flumine obruentur. Regno potitus Antiochus *Oniam* ſummi Sacerdotis honore *Jaſonis* fratris ambitione privavit, ut *lib. Mac. 2. cap. 4. v. 9. & 10.* diſerte legimus. Hinc dicitur. *Inſuper & dux fœderis*: erat enim Onias fœderis, hoc eſt veteris teſtamenti dux; ita Theodoretus in Dan.; alii vero inter quos S. Hieronymus, ducem fœderis Judam Machabæum, quem fraudibus ſuperavit Antiochus; alii Ptolomæum Philometorem, Cleopatræ Antiochi ſororis filium; alii Heliodorum Seleuci interfectorem eſſe volunt, quos omnes ab Antiocho ſive dolis, ſive armis contritos fuiſſe legimus apud laudatos hiſtoricos, quos laudat Grotius in Dan.: quod quidem ſatis eſſe videtur, ut vaticinium hoc in eo perfectum fuiſſe dicatur, ſive unus ſit, ſive alter fuiſſe putetur.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 23. *Et poſt amicitias cum eo faciet dolum : & aſcendet , & ſuperabit in modico populo*. Hebraice ſecus aliquantulum legimus. Hoc eſt. *Et ab aſſociando ſe ad eum faciet dolum: & aſcendet, & roborabit ſe in modico*: cum enim Antiochus, nepoſque ejus Philometor Ægypti rex bellum *Peluſium* inter & *Montem Caſium* commiſiſſent, Ptolomæi Philometoris Duces Antiochi fraude victi fuerunt. Porro Antiochus puero nepoti parcens , ac amicitias ſimulans *Memphim* aſcendit, & ex more Ægypti regni adminiſtrationem accipiens, puerique rebus ſe providere dicens cum modico populo omnem ſibi ſubjugavit Ægyptum . Ita ex *lib.* 1. *Mac. cap.* 1. *v.* 19. Ita Porphyrius ex *Callinico Sutorio* apud Hieronymum in Dan. Hinc Antiochus abundantes atque uberrimas ingreſſus eſt civitates, *fecitque quæ non fecerunt patres ejus , & patres patrum illius, ut verſ.* ſequenti dicitur; nullus enim regum Syriæ ita vaſtavit Ægyptum, & omnes ejus divitias diſſipavit, veluti Antiochum Nobilem vaſtaſſe legimus, atque omnes divitias diſſipaſſe Ægypti, largiendo in milites ſuos, & *Attalum, Eumenemque* Aſiæ reges, ut ex *Lib. Mac.* 1. *cap.* 3. *v.* 30. unde μεγαλόψυχος καὶ φιλόδωρος, hoc eſt magnanimus, & largitor aliquando dictus. Et tam callidus fuit ut prudentes cogitationes eorum, qui pueri Ptolomæi Duces erant ſua ſubverteret fraude , unde *& contra firmiſſimas cogitationes inibit*, Angelus ait , *& hoc uſque ad tempus*, expectavit enim opportunum tempus. Unde Theodotion ait : καὶ ἐπὶ Αἴγυπτον λογιεῖται λογισμοὺς αὐτοῦ ἕως καιροῦ, ideſt & *contra Ægyptum cogitabit cogitationes uſque ad tempus*, quæ lectio ut Calmetus advertit, optimam hanc reddit ſententiam : in urbes munitiſſimas expeditiones molietur; id autem non ultra certum tempus . Antiochus enim Ptolomæi Duces *ad bellum provocaverat multis auxiliis*

viliis & fortibus nimis, qui non potuerunt fraudulentis Antiochi conſiliis reſiſtere.

Verſ. 27. *Duorum quoque regum cor erit ut malefaciat*, hebraice *ad malignandum*, *& ad menſam unam mendacium loquentur*, *& non proficient* hebr., *& non proſperabitur*. Nam Antiochus, Philometorque Egypti rex convivium inter ſe cum inirent, vel amicitiæ ſpecie ficte cum convenirent, ut nonnulli pro convivio interpretantur, dolos adinvicem machinati ſunt, neuter vero profecit, *quia finis* utriuſq. regis regni *adhuc* differebatur *in aliud tempus* a Deo præſtitutum; neque enim *Philometor Antiochum* circumvenire potuit, mente veluti contrectaverat, neque Antiochus Ægypti regnum diu obtinere potuit; a Ptolomæi enim militibus ejectus eſt. Unde reverſus in Judæam adverſus *teſtamentum ſanctum* templum expoliavit & *in terram ſuam reverſus eſt*. Biennio autem interpoſito exercitum rurſum adverſus Ptolomæum congregans, *ad Auſtrum venit*: ideſt contra Ægypti Regem *Philometorem*, qui regno pulſus ab *Antiocho* ad minorem fratrem Alexandriam confugit, participatoque, poſt multas reluctationes cum eo regno, Romam ambo legatos mittunt, auxilium petunt, fidem ſocietatis implorant. Fratrum preces movere Senatum, unde legatus mittitur *P. Popilius Lenas*, qui familiaris Antiocho fuerat olim; Alexandriam cum ingenti claſſe advectus Popilius, nomine S. P. Q. Romani Antiochum ſtantem in littore cum inveniſſet, & ſenatuſconſultum ei ſignificaſſet, quo ab amicis populi Romani recedere jubebatur, & ſuo imperio eſſe contentus, videns ipſum cunctari conſultationem ad amicos referre, virga quam forte manu tenebat, circulum in arena circum Antiochum de-

deſcribens, ipſi vaſre tergiverſanti inquit: Senatum & populum Romanum præcipere, ut *iſto in loco reſpondeas quid conſilii geras; an pacem; an bellum cupias*. Quibus dictis ille perterritus ait: *Si hoc placet Romanis Ægypto excedendum eſt*: unde noviſſima hæc expeditio non fuit priori ſimilis. Exceſſit quidem extemplo cum omni exercitu ſuo, ſed ut probro ac dolore, ſic & ira plenus; quam cum in Ægyptios hac vice non poſſe effundere, effudit in Judæos, *ſuſpicatus deſerturos* illos *ſocietatem*, ut dicitur *lib. Mac.* 2. *cap.* 5. *v.* 11.. Ita ex Græca & Romana hiſtoria, ex libris quoque Mac. Ex quibus luculenter colligitur, omnia ad verſiculum uſque 30., imo ad finem uſque voluminis Antiochum Nobilem perſpicue reſpicere.

Accedit tandem prophetiæ hujus, & ejus, quæ de ipſo Antiocho capite 8. poſita eſt ſimilitudo. Illic *verſ.* 9. vocavit illum Daniel *cornu parvum*: hic eum Angelus *deſpectum* vocat. Illic *verſ.* 10. *&* 11. Daniel dicit eum ſeſe *contra templum*, *& contra Deum* ipſum extuliſſe: hic Angelus inquit: *& cor ejus adverſus teſtamentum Sanctum*.

Multa etiam de Antichriſto ut interpretemur cogunt, quod quæ ſub finem capitis dicuntur, Antichriſto magis coaptari poſſunt: ut præcipue verſiculis poſtremis, ex quibus duos ſelegimus 44. & ultimum; in quibus Angelus: *Et fama turbabit eum ab Oriente, & ab Aquilone: Et veniet in multitudine magna, ut conterat, & interficiat plurimos. Et figet tabernaculum ſuum Apadno inter duo maria, ſuper montem inclytum & ſanctum: & veniet* uſque *ad ſummitatem ejus, & nemo auxiliabitur ei*. Quæ verba omnia adamuſſim in Antichriſtum quadrare veteres

res ecclefiæ Magiſtri diſerte adnotant; ita referente S. Hieronymo „ . Noſtri autem extremum hujus viſionis capi-
„ tulum ſuper Antichriſto ſic exponunt , quod pugnans
„ contra Ægyptios Libyaſque ac Æthiopas, & tria cor-
„ nua de decem cornibus conterens, auditurus ſit de A-
„ quilonis, & de Orientis partibus , adverſum ſe bella
„ conſurgere, quod veniens cum magna multitudine, ut
„ conterat & interficiat plurimos , figat tabernaculum
„ ſuum Apadno juxta Nicopolim, quæ prius Emmaus vo-
„ cabatur, ubi incipiunt Judææ Provinciæ montana con-
„ ſurgere . Denique inde ſe erigens uſque ad montem
„ Oliveti, Hieroſolymorum regio aſcenditur, & hoc eſ-
„ ſe quod nunc Scriptura dicit: Et cum fixerit taberna-
„ culum ſuum in montanæ provinciæ radicibus inter duo
„ maria: mare videlicet, quod nunc appellatur mortuum
„ ab Oriente, & mare magnum, in cujus littore Cæſa-
„ rea, Joppe , Aſcalon , & Gaza ſitæ ſunt . Tunc ve-
„ niet uſque ad ſummitatem montis ejus, hoc eſt mon-
„ tanæ provinciæ, ideſt, verticem montis Oliveti , qui
„ inclytus vocatur: quia ex eo Dominus atque Salvator
„ aſcendit ad Patrem, & nullus Antichriſto poterit au-
„ xiliari contra ſe Domino ſæviente . Et aſſerunt ibi
„ Antichriſtum eſſe periturum, unde Dominus aſcendit ad
„ cælos ... Quod autem Antichriſtus veniat uſque ad ſum-
„ mitatem montis ſancti, & inclyti & ibi pereat: Iſaias
„ plenius loquitur: Præcipitabit, inquit, Dominus in mon-
„ te ſancto faciem dominatoris tenebrarum ſuper omnes
„ gentes, & eum qui dominatur cunctis populis, & un-
„ ctionem quæ uncta eſt contra univerſas nationes „ .
Deinde quod capite ſequenti proſequens Angelus idem argumentum de fine mundi in quo Antichriſtus futurus eſt: ita vaticinatur:

Digitized by Google

Verſ. 1. *In tempore autem illo conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui : & veniet tempus* (In Hebræo additur *anguſtiæ*) *quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cæperunt uſque ad tempus illud &c. Michael princeps magnur conſurget* in prælium contra regem Aquilonis, ſeu Antichriſtum, ut fideles adverſus illius tyrannidem tueatur. Neque enim hic ſermonem de alio quam Antichriſto eſſe liquet, ex ſubjuncta mox reſurrectione mortuorum, quæ in tempora Antichriſti ſolum quadrat. *Et veniet tempus*, anguſtiæ *quale non fuit, ab eo &c. erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi* Matth. 24. v. 21.

Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium &c. Quæ verba nonniſi de fine mundi, quando Antichriſtus venturus eſt, & univerſali judicio, intelligi poterunt.

Similitudo etiam Antiochi & Antichriſti facit ut credamus non abs re Angelum ſub Antiochi perſona Antichriſtum præmonſtrare voluiſſe. Primum ex humili utriuſque conditione. Unus enim Epiphanes videlicet ex obſide abſque ullo regnandi jure, omnemque popularem affectans morem uſque ad contemptum regiæ dignitatis ut ex *Polib. lib.* 26. dolis & malis artibus ad regni apicem evectus eſt. Alter Antichriſtus nempe de modica gente, ut inquit S. Hieronymus, turpiter naſciturus, conſilio fraudulento, atque ſimulato circumveniet omnes, ut regem ſe creent. Præterea Antiochus initio maximam erga omnes ſimulavit clementiam, quo Imperium obtineret: talis quoque erit Antichriſtus, magnus videlicet hypocrita, ut loquitur S. Hippol. in *l. de conſummat. Sæculi*, ubi & alios Antichriſti characteres recenſet ex ſuæ ætatis, ut par eſt exiſtimare, Chriſtianorum ſenſu.

VA1
1544575

Digitized by Google